

PHILOSOPHIA.
D: FERDINANDO III.
& Regis & Maximi Augsbg. gen.
SACRA,
Q. V. A. M.

In Antiquissima ac Celeberrima
Universitate Viennensi
AUTHORITATE, ET
CONSENSU REVERENDISSI-
MORVM, ADMODVM REVERENDO-
RUM, MAGNIFICORUM, NOBILIJM, ET CLARISSI-
morum Dominorum, Magnifici D. Universitatis Rectoris,
Spectabilis D. Decani, Cæterorumq; Dominorum Docto-
rum Inclytæ Facultatis Philosophicæ,
Pro supremâ in eadem Facultate Laureâ obtinendâ,

ANNO 1656. die 29. Iulij, horis pomeridianis,
PROPVGNABIT

Nobilis & Eruditus Dominus
D. DOMINICVS BERTALI
Austriacus Viennensis, AA. LL. & Philo-
sophiæ Baccalaureus.

P R A E S I D E
R.P. CORNELIO GENTILOTTO,
e Societate IESV, AA. LL. & Philosophiæ Doctore,
ejusdemq; Professore Ordinario, & p. t. Seniore
Consistoriali.

Viennæ Austriae, Typis Matthæi Cosmerovij, Sacrae Cæsareæ Majesta-
tis Typographi Aulici, Anno 1656.





SACRATISSIME CÆSAR,



Uod veteres antiquissimo
sanxere **Oraculo**, hoc Sacra-
tissime **CÆSAR**, felicissimo Sua
Majestas comprobat miraculo:
Amor Musicus est. Amat *Ori-
entem & Occidentem Austriacus*; &
cui *unus non sufficit Orbis*, utrumque *Austriæ, Europæ
Cordi*, concordat. Et verò *ex utroq; Cæsar est*,
dum divisum Imperium, quod cum Iove com-
mune habet, *Pietate & Iustitiâ* componit; disso-
num candore & amore in suavem pacis compo-
nit harmoniam. De Majestate Vestra, quod
de Numine sacræ testantur paginæ, communi
effato Orbis pronunciat universus: *Sapientia cum
eo erat cuncta componens*. Nam pari, dicannè facili-
tate an felicitate? & decoros Musarum mōdos
concinnat, & Principum mentes confono fœ-
dere conciliat. Armatur quidem Themis Ve-
stræ Majestatis ferro, quæ improbos terreat,
rebelles feriat: id tamen Musici Amoris argu-
mentum est, quod eos, qui concordem Musi-
cam turbare gestiunt, arcere desiderat, & ne in
primam

primam canentium regulam *concordiam* peccetur,
ta&tum exhibit. Interim dum *sub umbra alarum*
Aquilæ ter Iustæ & Austriacæ, & Musarum plectra sua
Majestas complectitur, & *Liberalium Artium* fovet
organum, meas quoq; Suis demississimè pedibus ad-
volutus defero Positiones. Philosophici Orga-
ni tenues quasi sonos benignâ dignetur aure ex-
cipere Majestas Vestra; meq;, meosq;, ac impri-
mis Parentem meum, quem Cæsareæ Capellæ
Suæ Magistrum habet, fovetque; eo quo hacte-
nus immerentes prosecuta est, favore comple-
&ti perget.

SACRATISSIMÆ MAIESTATIS VESTRÆ

Cliens humillimus

DOMINICUS BERTALI.



CONCLUSIONES PHILOSOPHICÆ, EX LOGICA.

I.

LOGLICA est habitus inclinans intellectum humanum ad recte operandum. Est scientia simpliciter practica, secundum quid speculativa. Illa autem dicitur scientia speculativa, quæ sistit in contemplatione sui objecti; practica verò est, quæ tendit ad suum efficiendum. Alia Logica est docens, alia Utens, alietate tamen solùm formalis.

Logica est Organum, in quo optimè ludunt Austriaci Principes, dum exemplo suo inclinant alios ad recte operandum.

I I.

Sine Logica artificiali potest haberi quicunq; disjunctivæ actus cuiuscunq; alterius scientiæ; imò scientia totalis. Vnde utilis quidem est ad acquirendas reliquas scientias, non tamen necessaria: ad salvandum enim dictum Aristotelis, quod sciens debeat scire se scire, satis est, quod sciat dare rationem formalem, ex qua infert consequentiam, non autem ut sciat præceptum existare de bonitate talis consequentiæ.

Licet omnes omnium hominum & Angelorum scientia uni homini infunderentur, non tamen idem illum ad insaniam redigerent; sic tamen potest, ut unica Logica faciat illum insanire.

I I I.

Objetum Logicæ aliud est Considerationis; Inhæsionis aliud, quod etiam propriè dici solet materiale; aliud formale; aliud adæquatum; aliud deniq; attributionis.

tionis. Considerationis sunt res omnes; Inhæsionis est humānus intellectus; formale est omnis operatio recta; adæquatum est intellectus recte operans; attributionis nullum datur propriè dictum; minus propriè tamen potest tale dici Conclusio.

Mibi, omniq; Philosopho Viennensi objectum attributionis propriè sic dictum est, Conclusio in CÆSARE.

I V.

Pleræque voces immediatiū significant res, quām conceptus. Est autem significatio, extrinseca denominatio à voluntate imponentium vocibus significationem, moraliter perseverante. Idem est objectum ut quod propositionum contradictiorum; & harum de futuris contingentibus una necessariò est vera, altera falsa. Semel vera non potest mutari in falsam, nec è contra falsa in veram.

Omnia decreta Austriacorum Principum populis significant eos non solum ad temporalem, sed vel maximè ad æternam felicitatem gubernari.

V.

Non datur una veritas formalis major alterà, falsitas tamen de objecto divisibili potest dari major, vel minor. Facilius distinguuntur tres operationes intellectus, si sola prima dicatur esse repræsentatio; secunda verò annutus vel abnutus; tertia illatio, seu conclusio. Hæc supposito assensu præmissarum sequitur necessariò quoad specificationem & exercitium, semper tamen partem solum debiliorē.

Inter mille mendacia quandoq; reperitur aliqua veritas. Certè mulieres Davidi acclamantes, quod occidisset decem millia, quando de Goliath triumphavit; unica constructione Syntactica dixerunt 9999. mendacia, veritatem vero unicam.

V I.

Demonstratio est syllogismus faciens scire. Syllogismus autem est oratio, in qua quibusdam positis aliud quid à positis necesse est contingere, eò quòd hæc sint; ubi etiam conclusio infertur in recto. Scientia totalis est collectio plurium habituum partialium. Semel acquisita scientia habitualis nunquam perditur. Dabilis est simul & semel de eodem objecto actus scientiæ & opinionis; nec implicat actus tertiae speciei.

Iustitia an Pietas melius syllogiset; illa in Ferio, hæc in Dabitis?
Ex

EX PHYSICA.

V I I.

HYSICA est scientia speculativa, licet occasio-
nem præbeat multarum actionum practicarum.
Materiale illius objectum est ens; formale verò
est ratio materialitatis, ex quo utroque consur-
git unum adæquatum, ex duabus formalitatibus realiter
non distinctis. Attributionis objectum propriè sic dictum
nullum habet; minùs propriè tamen potest tale dici corpus
naturale.

*In nostra potestate est facere ex objecto materiali formale, & ex
formali materiale.*

V I I I.

Principia propria corporis naturalis sunt tria: Materia,
Forma, Privatio. Omnium horum principiatio est unio
realiter modaliter distincta à suis modificatis. Defini-
untur principia, quòd sint ea, quæ neque ex alijs, neque ex
alterutris, sed ex quibus omnia, scilicet fiunt. Convenit
hæc definitio univocè principijs non solum causalitatis, sed
etiam communitatis.

*Principium Divinum imperandi est incipere à signo S. Crucis,
qualiter incepit Serenissimus Hungariae Rex LEOPOLDVS IGNATIVS;
principiatio verò politica est unio subditorum cum Principe.*

I X.

Materia prima describitur esse subjectum primum, ex
quo aliquid sit, cùm insit, non secundum accidens,
& si aliquid corrumpitur, in hoc abibit ultimum.
Ratio potentiae est de conceptu quidditativo illius. Respi-
cit essentialiter omnes formas possibles; appetitque etiam
corruptas; non tamen magis substanciales perfectiores,
quam imperfectiores. Si spoliaretur omni formâ, adhuc
naturaliter existeret.

Nihil potest dixeri qui negat materiam.

X.

Forma rectè definitur esse actus substancialis materiæ,
potens cum illa facere unum per se substancialē. Nulla
forma est existentia materiæ, omnis tamen forma mate-
rialis dependet ab illa, non tamen materiâ à forma. Divi-
nitus potest una forma substancialis duas adæquatas mate-
rias;

rias; & duæ unam adæquatam materiam informare. Formæ partiales sunt frustræ etiam in viventibus.

• *Si sectarij sunt partiales; an ideo non sunt in viventibus?*

X I.

Privatio est negatio formæ in subjecto apto illam habere. In actu primo intelligitur principiare per suum esse abusivum; quod non est quid fictum, neque tamen etiam ens reale positivum, sed veritas necdum existentiæ actualis formarum nondum eductarum ex subjecto: in actu secundo verò principiat per unionem. Vnde implicat formam cum sui privatione.

Quod particularibus maximè obest, id universo prodest plurimum; Mors singulorum.

X I I.

Totum implicat distingui realiter à partibus simul sumptis. Unio est pars ut Quo, & actualis ultima determinatio materiæ & formæ ad esse totius. Hæc in compositis purè materialibus frustra distinguitur ab actione eductiva formæ. Frustra etiam exigerentur duæ uniones in uno composite; neque ulla est necessitas dicendi unionem subjectari etiam in forma.

Licet totum non sit aliud à partibus simul sumptis, non potest tamen quæ totum orbem capere partibus simul sumptis.

X I I I.

Natura ex Aristotele est principium & causa motus & quietis ejus in quo est primò & per se, & non secundum accidens. Unde composite non convenit Aristotelicè naturam esse; cui ut aliquid sit naturale, debet esse tale tam formæ, quam materiæ; ut sit violentum, sufficit formæ sic esse. Artificiatum consistit in certis partium ubicationibus, & carentia superfluarum.

Non ex quovis trunko potest fieri Mercurius. Neq; facile replicetur artifex, qui aurum faciat, quod artificem reddat divitem.

X I V.

Causa in communi definitur esse principium productivum termini simpliciter contingentis. Ut actu causet, debet actu existere, non tamen priùs tempore. In actu primo non constituitur per actionem possibilem, nec in actu secundo per existentem; dicit tamen relationem transcendentalem ad omnes effectus a se producibiles. In di-

stans

stantis nulla causa creata naturaliter agit; potest tamen agere non agendo in, sed cum medio.

An Austria agens in Hispaniam, Hispaniaq; in Austriam, agunt in distans, nihil agendo in medio?

X V.

CAUSA efficiens causat actione à se & effectu realiter modaliter distincta. Est prior natura suo effectu; quæ prioritas in causa habetur ab actione, non quâ producit effectum, sed quâ conservatur, dum causat effectum: Posterioritas tamen in effectu habetur ab actione, quâ effectus producitur. Substantia potest producere substantiam & accidentia; & probabile est etiam ab accidentibus posse produci substantiam.

Pietas & Justitia, Consilium & Industria, Timor item Domini; suntne causæ instrumentales, vel Principales?

X V I.

ET si naturaliter fieri non possit, ut idem effectus dependeat simul & semel à duabus causis efficientibus totalibus; item ut duæ causæ sint sibi mutuò causæ, etiam quoad secundum esse; utrumq; tamen hoc non implicat fieri divinitus, licet implicit duas causas sibi esse causas quoad primum esse. Ut idem autem producat seipsum indivisibiliter sumptum; sive quoad primum, sive quoad secundum esse implicat.

Primum & maximum beneficium nemo potest sibi meti nisi dare.

X V I I.

CAUSA prima eadem indivisibili actione influit in effectus, quâ causa secunda in illos influit. Ad omnis effectus individuationem determinat; nullam tamen, causam secundam Physicè prædeterminat. Imò cum causis necessarijs otiosa esset talis qualitas Physicè prædeterminativa; cum causis verò liberis, hoc ipso, quod liberæ esse & manere supponi debeant, manifestè implicat.

Ad perpetuanda Imperia Principes Austriaci non indigent nisi solā causâ primâ; sicuti si quæ illis posset evenire calamitas, hæc non nisi ab eadē inferri posset.

X V I I I.

FINALIS causæ ratio formalis constitutiva est bonitas finis, eaq; etiam apparenſ. Cognitio bonitatis habet se tanquam conditio sine qua non. Effectus finis & causalitas

C

cjusdem

ejusdem non distinguntur; suntq; ipsa electio & intentio. Potest eadem voluntas simul & semel elicere plures actus voluntatis; ad unum tamen actum non potest moveri ex duobus finibus adæquatis.

Nulla res potest finem intentum assequi, nisi initium operandi fecerit à fine.

X I X.

Infinatum actu creatum in quantitate & numero etiam in mente D E I implicat, sicut & creatura perfectissima. Unde hæ propositiones non sunt æquipollentes: Omnis creatura possibilis potest - nulla non possibilis creatura potest produci à D E O. Sed neq; hæ propositiones sunt contradictoriæ; omnis creatura possibilis potest - aliqua creatura possibilis non potest produci à D E O. Infinitum tamen potentia defacto datur in permanentibus & successivis.

Admittentes infinitum actu creatum in numero, admittunt propositionem universalem, sub qua nullum continetur particolare.

X X.

Presentia rei in loco hoc potius quam alio est entitas realiter modaliter distincta à relocata & loco. Idem dicendum est de duratione respectu rei durantis & temporis, in quo durat. Neq; tamen ubicatio, neq; duratio necessariò distinguitur ab actione productiva rei. Durationem creatam, quæ sit permanens & indivisibilis, probabilius est implicare.

Etsi D E V S ubiq; sit, est tamen vel maxime in Domo Austriaca. Datur in orbe locus, quem ab origine mundi non nisi semel Sol vidit.

X X I.

Divinitus potest idem ens in duplice loco adæquato etiam circumscriptivè poni; & sic positum potest naturaliter moveri motibus contrarijs vivere etiam & mori. Unicus homo replicatus potest integrum exercitum vincere, neq; tamen requiret vires majores seipso non replicato. In spatio imaginario, & vacuo non implicaret omnis motus; si fieret motus gravium, ille non fieret in instanti.

In una aquæ gutta posset integra clasis totum orbem circumnavigare. Posset etiam per unicam vini guttam exercitatisimus potator inebriari.

Quan-

X X I I.

Quantitas est accidens distinctum à materia. illius essentia consistit in radice impenetrabilitatis; divinitus camen possunt duo quanta se penetrare. Continuum tam permanens, quām successivum componitur ex partibus in infinitum divisibilibus, ijsq; solā potentia distinctis; quæ si actu distinguerentur, daretur defacto à parte rei ens rationis purè fictum.

Vnico sacri Romani Imperij aureo pomo posset sine replicatione totum cælum inaurari.

EX LIBRIS DE M V N D O ET COELO.

X X I I I.

Mundus est compages è cælo terraq; , atq; ex naturis inter hæc contentis coagmentata. Defacto non constat nisi de unico: quem in tempore creatum esse fides docet; ratio verò persuaderet tam non potuisse illum, sive secundum permanentia, sive secundum successiva, ita citò produci ab æterno, ut citius produci non potuerit; quām implicit à parte postponi à Deo diem ultimam, post quam nulla alia sit possibilis dies.

Si ab æterno creatæ fuisset mulier gravida, nunquam parere potuisset.

X X I V.

Cœlos non esse nisi tres videtur satis congruenter ex Scriptura probari. Firmamentum probabile est esse solidum; cælum verò planetarum esse liquidum. Probabile etiam est hos duos cœlos esse corruptibiles, & compositos ex forma & materia ejusdem speciei cum nostræ. De empyreо verò probabilius est esse corpus simplex & incorruptibile.

An nos afferentes cœlos tantum tres possimus afferentibus plures, reliquos liberaliter concedere salva thesi, vel etiam illis optare in premium meritorum bona conscientia?

EX LIBRIS DE GENERATIONE, CORRUPTIONE, ELEMENTIS.

X X V.



Eneratio in communi est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente ut subiecto eodē. Termini formales & totales generationis & corruptionis sunt ijdem. Principium tamen illud Aristotelicum: generatio unius est corruptio alterius; nec est identicum, nec universaliter verum. Ad generationem viventium universalissimè sumptam non requiriatur similitudo naturæ.

In generationibus, & successionibus Austriacorum Principum, nunquam fit mutatio totius in totum.

X X V I.

Conversio est transitus, seu desitio unius rei in aliā. Terminus totalis à Quo simpliciter desinere, ad Quem simpliciter incipere debet; Terminus tamen formalis ad Quem non est necessarium ut simpliciter incipiat. An autem terminus formalis à Quo debeat simpliciter desinere, magis spectat ad modum loquendi, quam ad rem; & affirmativam suadet sola Theologorum sic loquentium authoritas.

Nulla defactō esset magis optabilis conversio, quam si gladij hostium Domūs Austriacæ converterentur in vomeres.

X X V I I.

Augmentatio est motus à minori ad majorem substantiam. Consistit in unione continuativa partium. Fit continuè successivè. In compositis purè materialibus augetur forma & unio, in humano verò non benè dicitur augeri forma. Corpora viventia, saltem perfectiora, ac etiam pleraq; habentia aliquam cum viventibus connexionem, habent certum terminum parvitatis & magnitudinis.

An qui ex musca (ut dico solet) faciunt elephantem, servent certum terminum magnitudinis, & parvitati?

Rectenè dixerit S. Cyrillus, Gigantibus staturam enormous datam esse in pœnam scelerum?

Alte-

X X V I I.

Aliteratio est mutatio ejusdem subjecti sensibilis quoad formam solum accidentalem. Fit per intensionem & extensionem. Intensio non potest salvare, per solam ablationem contrarij; nec per majorem gradus ejusdem radicationem; sed neque per productionem qualitatis entitativè perfectioris, servata, vel perdità priore: sed est collectio plurium graduum homogenorum in eadem parte subjecti.

Inter mille heterogeneos gradus ut unum, frigeremus ut septem.

X X I X.

Naturaliter non potest idem in seipsum agere actione univocā; nec remissius in intensius, neque simile in simile quoad qualitatem eandem & intensionem. Ex primis quatuor qualitatibus, quæ sunt magis activæ, implicat non esse etiam magis resistivas suo contrario, resistentiā etiam formalī. Datur eodem instanti reali actio & reactio secundum eandem partem passi & repassi inter qualitates contrarias,

Potest unus ignis causare eodem instanti centum ignes, nullum tamen calidiorescere.

X X X.

Aliteratio per extensionem est vel rarefactio, vel condensatio. Illa non fit per puncta inflata, neque per aliquem modum superadditum, minus per ingressum corpusculorum; sed fit per acquisitionem novæ partis quantitatis: Condensatio item non fit per punctorum extenuationem, neque per deperditum aliquem modum, minimè per egressum corpusculorum; sed fit per amissionem aliquujus partis quantitatis.

Si condensatio fieret per ingressum corpusculorum, ens rarissimum foret densissimum. Opes possunt non condensari, sed rara fieri per amissionem quantitatis.

X X X I.

Elementorum qualitates à formis substantialibus sunt genere distinctæ, non tamen symbolæ unius à symbolis alterius elementi, vel mixti, specie. In mixto ele-

menta non insunt formaliter; neque omnia elementa possunt in se invicem immediatè transmutari. Singulis elementis convenit locus proprius, per accidens tamen non possunt omnia suum locum occupare; hinc ignis non est supra aërem.

Verum est, temperamentum qualitatum posse sic quintupliciter distingui, qualiter Plato dixit quinq[ue] esse genera dæmoniorum. Ignei scilicet, Aërei, Aquatici, Terrei, & Subterranei: plus tamen potest recta educatio temperamento naturali.

X X X I I.

GRavitas & Levitas distinguuntur realiter à materia, à forma, & ab utraque simul, non tamen à tempore primarum qualitatum, supposita certa raritate vel densitate. In proprio loco elementa non gravitant; nec terra trepidat motu quarumcunque rerum. Motus naturalis deorsum in fine est velocior. Projecta moventur à qualitate illis impressa; in puncto reflexionis non quiescunt.

Potest sciri pondus fumi. Verum est illud Aristotelis, quod panes non saliti graviores sunt salitis. Datur aliqua gravitas, Cujus natura est ascendere. Si centrum gravitatis Universi esset idem, nunquam foret idem.

EX LIBRIS DE ANIMA.

X X X I I I.

Anima in communi rectè definitur esse actus primus corporis naturalis, potentia vitam habentis, organici. Est triplex: Vegetativa, Sensitiva, Rationalis. Sensitiva vegetativam, rationalis vegetativam & sensitivam virtualiter & formaliter includit. Nullius tamen speciei anima excedit aliam perfectione individuali; neque ulla indiget formis partialibus. Sola rationalis est indivisibilis, spiritualis, & immortalis.

Immortalitati & perpetuitati Austriaeorum Principum, non officit mortalitas singulorum.

X X X I V.

Est autem anima substantia, veraque forma informans, & non solum assistens, ut de rationali impius deliravit Averroës. Non tamen ideo informat anima omnes

par-

partes qualitercumque requisitas à vivente: nam sanguis v.g. in vivente sensitivo non vivit. Ita unica est in quovis vivente anima, ut neque successivè plures informent idem vivens; non tamen est unica in omnibus individuis alicujus speciei.

Averroës si habuit animam, qualem asseruit, intellexit sicut equus mulus, quibus non est intellectus; vel sicuti fues intellexerunt, in quos Christus legionem dæmonum immisit.

X X X V.

Potentiæ animæ secundum id, quod dicunt in actu primo remoto, sunt idem realiter secum, & cum anima. Vnde anima producit immediatè suos actus, estque vita in actu primo. Actus animæ dicuntur vitales, sed non omnes, verùm illi solùm, qui ita essentialiter ab anima effectivè producuntur, ut æquè essentialiter sint educitio ex eadem anima, à qua effectivè producuntur; qui ideo etiam immanentes dicuntur.

Si potentiae animæ distinguerentur ab anima, non solùm posset damnari voluntas non damnato intellectu, vel anima; sed posset etiam Petrus intelligere per intellectionem Pauli.

X X X VI.

Hinc rectè infertur, ad hoc ut actus sit vitalis, non satis esse, quod sit ab intrinseco, vel à vivente, vel viventis produc̄tio; vel quod sit perceptivus, aut appetitivus; neque denique quod non debeat rei in primo instanti productionis. Imò si posset dari ens, quod effectum à se produc̄tum subjectaret; si tamen divinitus ille effectus produci posset absque eo, quod subjectaretur in principio producente, iam non foret vitalis.

Austriaci Principes vivunt, tām per actus Pietatis immanentes, quām per actus Clementia & transcuntes in alios.

X X X VII.

Non hoc ipso quod nutriatur animal, debet perire; unde posset cum nutritione stare vitæ perennitas; nisi præpediretur ab extrinseco. Sensus externi animæ sensitivæ sunt quinque: Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, Tactus. Internus melius dicitur esse unus. Ex somnijs potest fieri divinatio: & quidem ex divinis licet, & oportet;

• ex dœmoniacis nec licet, nec decet; ex naturalibus sæpe expedit prudentibus conjectare.

Non omnia somnia sunt somnia. Potest quis videre, licet caret utroq; oculo; uno item plus videre, quam duobus.

X X X V I I I.

Voluntas rectè describitur esse potentia appetitiva spiritualis, tendens per actum proprium in bonum per intellectum propositum. Est potentia libera. Ad libertatem autem exercendam non sufficit habere judicium indifferens de objecto bono vel malo, sed requiritur insuper indifferens concursus causæ primæ. Actus voluntatis dicuntur liberi solum per denominationem extrinsecam à potentia, à qua procedunt.

Nemo potest libere necessarij, benè tamen necessarij libere operari.

X X X I X.

Habitus non distinguuntur à speciebus; unde in illis solum potentij dantur, in quibus dantur species, licet hæ non in omnibus potentij nomen habitus sortiantur. Causa productiva specierum externarum sunt objecta; internarum vero est anima. Tamen spirituales, quam materiales species sunt divisibles. Ad Iudicium non requiruntur aliæ, quam quæ ad simplicem apprehensionem.

Si ad judicium requirerentur species distinctæ à speciebus prima operationis, illæ species non requirentur ad judicium.

EX METAPHYSICA.

X L.

METAPHYSICA speculatur ens ut sic, univocum respectu DEI & creaturæ, substantiæ & accidentis. Analogia licet detur in rebus, nulla tamen est vox, quæ una cum sit, significet tamen vi nominis analogicè partim idem, partim diversum. Sicut ens à differentijs, ita differentiæ ab ente præscindunt; quæ tamen licet non ab ente, adhuc tamen ens ab illis præscinderet.

Sub ente ut sic comprehenditur etiam DEVS, qui comprehendit omnia.

ENS

X L I.

EN's reale aliud est absolutum, aliud respectivum, aliud modale. In his hæc inter alias non incongruè assignatur differentia, quod existentia simpliciter absoluti cum nullius alterius entis existentia vel possibilitate sit connexa; (quale absolutum ens vix datur) ens verò essentialiter respectivum possit existere saltem sine existentia termini, quem respicit; modale verò sine existentia suorum modificatorum existere nec divinitus quidem possit.

Si musca implicaret, implicaret omnis homo.

X L I I.

ATtributa entis solent quidem quinque assignari? Res, aliquid, unum, verum, bonum; sed revera solum tria postrema hoc nomen merentur, reliqua sunt synonyma cum ente. Unitas consistit in prædicato positivo, quod tamen explicetur per negationem alterius. Verum dicitur, quod non per imitationem est tale. Bonum est, quod habet integratam prædictorum: Possunt tamen verum, & bonum etiam relativè considerari; illud ad intellectum, hoc ad appetitum.

Potest unum fieri plura, & plura fieri unum.

Potest etiam gallina ad vertere multitudinem pullorum, non tam numerum.

X L I I I.

ENS rationis est, quod habet esse tantum objectivè in intellectu; unde non consistit in identitate reali indebet applicata, sed in obiecto ficto. Datur duplex: simplex, & compositum; in rigore tamen loquendo, omne est solum simplex. Cognoscitur, non fit à D E O; ab homine fit, sed non per voluntatem, nec per operationem secundam, & tertiam, sed solum per primam, eamq; directā, non reflexam.

Sia D E O fieret ens rationis illud, quod cognoscit à nobis factum esse, non faceret illud D E V S per illam cognitionem, per quam supponitur facere. Qui omnia agit Consilio & Industria, apud illum necessario omnia entia sunt, prius Rationis, deinde realia.

X L I V.

DIstinctio realis consistit in ipsa rei entitate, supposito termino extrinseco, sive possibili, sive impossibili; Distinctio verò rationis est ipsa cognitio positivè, vel

*E*nse

negativè præscindens. Non datur præcisio objectiva, nec formalis ex natura rei, sed omnis contradic̄tio evitari potest per solam præcisionem rationis. Signum distinctionis est separabilitas, inseparabilitas tamē nō arguit nō distinctionē.

Licet omnia alia implicarent, prater D E V M, adhuc tamen D E V S facere non posset, nē distinguatur.

X L V.

VNIVERSALE ut sic est unum aptum inesse multis. Species sub se habet quinque: Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens, à quibus præscindit univocè, Sicut & ratio individui ut sic à singulis individuis; non tamen ratio speciei à prædicabili & subiectibili. Primæ tres Species Universalis prædicantur essentialiter, reliquæ duæ accidentaliter, omnes tamen diversimodè.

Datur aliquid, quod solum accidentaliter prædicatur de suis inferioribus, implicat tamen abesse à suis inferioribus sine corruptione illorum.

X L V I.

NEQUE Genus in una specie, neque species in uno individuo haberi potest, si alia implicent; potest tamen abstrahi ratio specifica, licet individua forent solum diuinitus multiplicabilia. Si fiat abstractio ab unico individuo, licet plura sint possibilia, talis abstractio non faciet universale. In prædicatione actuali manet prædicatum universale, licet non sit tale vi prædicationis.

Si posset dari species creata in unico individuo, D E V S non forget D E V S.

X L V I I.

TAM unitas, quam aptitudo sunt de conceptu essentiali universalis. Unitas autem illa non est numerica, nec formalis, nec convenientiæ, minus idea aliqua Platonica, seu natura ut sic independenter ab intellectu; sed est unitas rationis, non tamen ficta, licet sœpè det occasionem fingendi. Aptitudo tenet se ex parte naturæ; estque multiplex, sicuti ipsa natura est multiplex.

An idea Platonica valeret pro pictoribus?

X L V I I I.

RELATIO est id, quo unum refertur ad aliud. Prædamentalis est nexus accidentalis fundamenti cum termino, consistitque in sola ratione fundandi; Transcen-

scendentalis est nexus essentialis, consistitque in solo fundamento. In omni relatione debet terminus esse realiter distinctus à fundamento, non tamen necessariò existens. Deus dicit relationem transcendentalē ad creaturas possibles.

An inter Austriacam hanc, & Hispānicam Domum, cum sit una, detur tamen relatio, & qualis?

X L I X.

Possibilitas Logica rei dicit pro materiali existentiam actualē cum carentia contradictionis, abstrahendo an talis existentia sit actu, vel solum sub conditione; possibilitas verò objectiva, seu pura, non ita abstrahit, sed dicit rem actu non existere, quæ tamen, si existeret, non implicaret. Essentia & existentia realiter non differunt. Subsistētia in creatis nihil positivum superaddit naturæ.

Si essentia & existentia realiter distinguuntur, nunquam producit Deus id quod intendit producere.

L.

Non nisi insipiens negat Deum. Hunc esse causam primam, & universalem rerum omnium, nihil derogat activitati causarum secundarum. Sed neque Deo quidquam derogat illum non posse Chimæras, imò neque etiam non posse ex entibus Physicis producere, quidquid potest producere; quin hoc illius ingens perfectio est. Esset tamen maxima imperfectio, si intra eandem speciem creatam non posset producere simile in individuo.

Magna est Austriaca Domus gloria, non posse exerere vires, quas posset exercere.

Omnia ad Maiorem DEI Gloriam.



Univ. Bibl.
München

